

confessiones Monialium; hoc nemo inficiatus est; sed etiam evidentissime patet, quod de ipsis locis *duo* quaeruntur, idest an ipsa loca sint habenda ut loca destinata ad confessiones, aut contra an ipsa loca sint habenda ut vera *confessionalia*. Duo haec, quae hic quaeruntur, iuxta quod docet etiam Reverendissimus Professor, non identica sunt sed diversa; ergo diversa exigunt responsa, quia *idem simul inesse et non inesse eidem nequit*. Compertum est solere S. R. Congregationes ad quaesita huiusmodi, quae duas partes diversas habent, hac uti responsionis formula: *negative quoad I. partem, affirmative quoad II.*, vel e converso. Sed in nostro casu S. Cong. S. U. Inquis. ad haec duo diversa respondit simpliciter: *affirmative*; quid ergo affirmat? primum, vel secundum de duobus? Si dicis quod primum affirmat, ego dicam quod alterum, et viceversa, quia in suo responso minime distinguit. Dicendum ergo, quod neutrum, vel utrumque simul affirmet? Absit, hoc enim esset absurdum et ridiculum, et S. Cong. U. S. Inquis. nec umquam dedit, nec prorsus dabit umquam tale responsum. Sed cur, ut repetam, ad quaesitum quod utique duplex et diversum requirebat responsum, simpliciter respondit: *affirmative*. Quomodo diluitur difficultas haec? Nullo alio modo mihi visum est et adhuc videtur (ni mente prorsus laboro), nisi supponendo mentem

esse Supremae Cong. quod illud, de quo agitur in prima dubii parte identicum sit cum illo, de quo agitur in secunda parte, scilicet *loca destinata esse confessionalia*, et e converso; tunc utraque dubii pars eodem redit et in utramque refunditur, et tunc utraque unicum et simplex responsum exigit, prout reapse datum est.

Ad tale suppositum mihi videntur praebere probabile fundamentum haec tria: 1. Particula « *prout proponitur* » quam Suprema adiecit; puto hanc particulam verborum sensum naturalem et communem significationem respicere, non alia loca, atque ideo adiecta mihi videtur, ut motivum simplicis affirmationis ad duo diversa quaesita innuatur et percipiatur; 2. auctoritates tam extrinsecae, quam intrinsecae, quas postea retuli et nunc inferius referam; 3. necessitas vitandi absurdi, nam *ab absurdo vitando valet argumentum*, (Barbosa, *Locor. Commun.* 2.), et verba interpretanda, ut evitetur omne absurdum, adeo ut ob hoc vitandum etiam improprietas verborum admittatur (Barbosa, *Axiom. iur.* 2.). De hac difficultate et eiusdem solutione Reverendissimus Prof. ne verbum quidem facit, sed solum immoratur in demonstrando quod Supremi Inquisitores de locis tantum, in quibus Monialium confessiones excipiuntur, declarationem ferre intenderunt, non de aliis. Sed frustra hoc; nam hoc ultro citroque

concedimus, nec in quaestionem umquam adduximus.

II. Quoad adductas auctoritates. Asserit Reverendissimus Prof. me immerito adduxisse testimonium Clariss. et Doctiss. Theologi et Episcopi *D'Annibale* (*Summula*, Part. 2. N. 255, Nota 14. Editio I.). Per transennam adverto me *Summulam Editionis* I. tantum prae oculis habuisse, et eam tantum citasse. Haec autem non solum in dicta Editione I. sed *etiam in II.* non habet omnia, quae Reverendissimus Prof. transcribit, verum tantummodo sequentia: « *Loca destinata dicuntur* » Cellulae illae in Ecclesiis extractae, ubi subsellia cum imaginibus Crucifixi huius rei causa » posita sunt: *electa* ea, in quibus » quis in praesens pro re nata confessionem excipit, sive domi, » sive in agro, sive in via. Quibus » autem opus sit, ut his in locis » confessio simulari videatur, in » facto, non in iure consistit ». Item eiusdem Clariss. Viri Commentarium (*In Constit. Apost. Sed.* N. 135. Nota 14), *tam in I. quam in II. Editione* habet praedicta identica verba et nihil amplius; fortasse citatio Declarationis Supr. Inquis. 25 Nov. 1874, quam addit Reverendissimus Prof., in III. Editione eiusd. Commentarii adiecta fuit. — Sed quaerit Reverendissimus Prof. cur et quo sensu ego innixus testimonio egregii *D'Annibale* docere possim duo tantum locorum genera confessionis adesse, nempe loca *de-*

stinata et loca *electa*? Et respondeo, quia Clariss. Vir *D'Annibale* duo tantum ipsemet genera locorum numerat; nam in prima citati testimonii parte definit generice loca ordinaria confessionis, et hoc praestat verbis, quae etiam *Confessionalia* complectuntur ac definiunt. Et equidem *Cellulae* (diminutivum a *Cella*, quae idem fere est ac *cubiculum*, et hoc longe est a simplici scabello confessarii et poenitentis cum imagine Crucifixi et Tabella Reservatorum, ut solent esse alia loca confessionis) *extractae in Ecclesiis* (est *Confessionale*, quod in Ecclesia collocatur, ut ipse Reverendissimus Prof. testatur, pag. 182. Col. 2. in princip.), *ubi subsellia cum imaginibus Crucifixi*, haec omnia *confessionale* constituunt, crate forata excepta, quae non pro omnibus confessionalibus requiritur, sed pro confessionalibus mulierum tantum. Etiam Giraldi (*Expos. Iur. Pontif.* pag. 630. Col. I. in princip.) docet: « si in » huiusmodi cellulis confessionale, » ut supra dictum est, constructum » adsit, quod formam habeat tribunalis ordinarii sacramentalis » iudicii, tunc, ad locum prioris » generis (nempe *veri confessionalis*) pertinebit », etiam si sit in primo claustro Monasterii, vel in Sacristia. In secunda vero parte laudatus *D'Annibale* loca *electa* definit, et cum de *confessionalibus* in specie nullum addat verbum, argumentari sinit debere illa inter loca

destinata recenseri, quippe qui ita haec definit, ut eorum definitio et illis conveniat. Clarius porro egregius *D'Annibale* paullo post (Summula, in pag. sequenti, 180 in fin.) hanc meam confirmat sententiam duo solummodo locorum genera recolendo, ubi viceversa in sententia contraria tria genera recensere debebat. Nam ibidem explanans Clausulam *simulationis confessionis* haec habet: « Denique *simulatione confessionis* reus sollicitationis intelligitur, si dum ambo fingunt confessionem agere, turpia miscent, et si id agant in loco, vel solum » destinato, aut electo ad audiendas » confessiones. » Et hic nullam facit mentionem de confessionali, quae quidem erat facienda, nam simulatio confessionis non inducit in poenas, nisi fiat *in confessionali*, aut in alio loco confessionis iuxta textum Bullae.

Huic porro testimonio adde et illud *Gury* (Comp. Theol. Mor. cum Adnotation. P. Ballerini, Editio V. pag. 545). qui haec habet: » Sollicitantes. . . . simulatione confessionis immediate ante, vel » post confessionem, aut in loco, » ubi confessiones audiuntur, seu » ad confessionem electo, Superioribus Ecclesiasticis denuntiandi » sunt. » Nota quod et *Gury* de *confessionale* tacet, et ideo dicendum est, quod illud recenseri intendat inter loca, *ubi confessiones audiuntur* quae sunt loca *destinata*.

Sed quod specialiter nunc subdo

attentioni Reverendissimi Professoris est testimonium sequens Commentarii Patavini (In Const. Apost. Sed. N. 385 ad V. pag. 283): « Loca deputata, ut facile liquet, » sunt *Confessionalia in Ecclesiis* » collocata; item cellae prope Ecclesiam extractae, ubi sedes paratae pro confessariis, sacrae imagines pendentes, etc. Loca vero » electa possunt esse quaecumque, » in quibus, ut ait Reatinus, quis » in praesens pro re nata confessionem excipit. » Facile quisque compèriet ipsissima haec me tradere.

Praesto sunt et alii complures Auctores, quos citare possem, quique cum expriment quidem *confessionale*, sed de locis *destinatis* non addant verbum, post *confessionale* exprimentes tantum loca *electa*, ad argumentandum inducunt, quod idem retinent *confessionale* ac loca *destinata*. Exempli gratia, Clariss. Praelatus *Sarra* (Memoriale Theol. Moral. De Virt. Theolog. De sollicitat. pag. 125. Editio II.) habet: « Dicitur *praetextu* confessionis, » quando simulat confessionem sacramentalem et sollicitat in *Confessionario*, aut in loco quocumque ad audiendas confessiones *electo*. » Et *Salmanticenses* (Tract. 21. De praecept. Decal. § V, N. 57.) sic docent: « Dicendum est » prohiberi his verbis sollicitare » ad turpia in *Confessionario*, aut » in loco quocumque ad confessionem *electo*. »

Cur isti auctores silentio praetereunt loca *destinata*?....

III. Quoad rationem, seu auctoritatem intrinsecam. Quoad hoc paucis me expediam, nam sufficit in lucem ponere argumentationem Reverendissimi Professoris carere fundamento et (absque tamen eius culpa) vitiosam esse. Cum enim ego, ut ipsemet refert Confessionalis tradidisset definitionem his verbis: « *confessionale est locus ad confessiones destinatus: dicitur autem destinatus cumulative tum ob formam, quam praefert, tum ob habitualem usum ibidem excipiendi confessiones* » hanc definitionem subiicit conditioni, quam Logica statuit ad dignoscendum, an legitima dici possit, et ideo eam convertit, et ait: « *si igitur confessionale est locus ad confessiones destinatus, quoniam definitio converti cum definito debet et uni et soli convenire definito, vera erit sequens propositio: locus quilibet ad confessiones audiendas destinatus est confessionale.* » Sed venia Reverendissimi Professoris haec conversio definitionis vitiosa est; nam partem tantum definitionis complectitur, et partem praetermittit. Definitio mea habet quidem verba: *confessionale est locus ad confessiones destinatus*, at non haec tantum habet, sed etiam haec alia: *destinatus cumulative, tum ob formam tum ob habitualem usum ibidem confessiones excipiendi*.

Convertè ergo totam definitio-

nem, et vera, verissima erit sequens propositio: *locus quilibet ad confessiones audiendas destinatus, destinatus tum ob formam, quam praefert, tum ob habitualem usum confessiones ibidem excipiendi est confessionale*.

Talis equidem propositio habetur, si tota mea definitio, uti iacet, convertitur, et tunc profecto Reverendissimus Professor non amplius quaeret quo abit definitio alia (seu melius *descriptio*) confessionalis a me tradita praecedenter (pag. 177. N. 293), etenim cum hac postrema propositione, ex conversione definitionis confecta, adamussim convenit.

Abstineo porro ab expendendis iis, quae postea ex conversione diminutae et dimidiatae definitionis Reverendissimus Professor deducit et argumentat, nam illa corruunt, fundamento avulso.

IV. Quoad solutionem difficultatis oppositae. Demum sibi videri praedicat Reverendissimus Professor me infeliciorum esse in solvenda difficultate, quam ipsemet mihi his verbis proposui et solvi: « Sed » fortasse respondebis; cur ergo » in Bulla post particulam *in Confessionali* additur illa, *sive in alio loco ad audiendas confessiones destinatus*? Etenim, si *confessionale* et *locus destinatus* idem sonant, redditur otiosa haec » secunda particula, et hoc directe » opponitur Regulae Iuris: *verba intelligenda sunt cum effectu, ita*

» ut aliquid operentur, et non
 » sint superflua. Respondeo minime
 » reddi otiosam particulam illam,
 » quia maioris declarationis et
 » omnis tollendae dubitationis gra-
 » tia adiecta fuit. Censetur aliquid
 » operari verbum legis, quando
 » etiam solius maioris declarationis,
 » cautelae, et omnis dubitationis
 » tollendae, vel efficacioris volun-
 » tatis demonstrandae gratia po-
 » nuntur. etc. (Reinfestuell, lib. V.
 » Decret. tit. 40. N. 2). »

Ait Reverendissimus Professor
 me respondere quod in quaestione
 est: «quaestio enim est, inquit,
 » an legislator per loca *destinata*
 » intellexerit quid a confessiona-
 » libus diversum, vel unum idem-
 » que; ipse autem respondet, a le-
 » gislatore per particulam *sive alio*
 » *in loco ad audiendas confessiones*
 » *destinato* explicatum fuisse sen-
 » sum vocis *Confessionalis*. » Quae-
 stio nostra specialis hic et nunc
 est, an superflua dicenda sit et
 reddatur otiosa in mea hypothesi
 particula illa addita, et respondeo,
 ut formati verbis legitur ibi, *mi-
 nime reddi otiosam particulam*
illam, quia maioris declarationis
et omnis tollendae dubitationis gratia
*adiecta fuit: hoc sensu accipit ex-
 plicationem aliquam et vox Con-
 fessionalis.* Quomodo ergo illud re-
 spondeo, quod in quaestione est?
 Si respondissem particulam illam
 adiectam fuisse in Bulla ad decla-
 randum *confessionalia* recenseri de-
 bere inter loca *destinata*, tunc

quidem incidissem in *petitionem*
principii, et id ipsum, quod in
 quaestionem venit, tamquam certum
 obiecissem, sed aliud, ut patet,
 ego respondi. Legislator per ver-
 bum *Confessionalia* satis indicaverat
 se intelligere omnia loca illa, ubi
 audiuntur confessiones, sed cum,
 nullo prorsus excepto, omnia illa
 comprehendere vellet, et fortasse
 contingi posset, *confessionalia* iuxta
 quasdam minores et breviores for-
 mas confecta alicubi et aliquando
 sub voce *Confessionalis* communiter
 sumpti non intelligi, adiecit parti-
 culam *et in alio loco destinata, vel*
electa ad confessionem, non quidem
 principaliter, ut velut triplex Con-
 fessionalium locorum genus indu-
 ceret, sed ut maiori evidentia de-
 clararet et explicaret mentem suam
 esse omnem sive stabilem, ut ita
 loquar, sive contingentem locum
 confessionis, omnes prorsus com-
 prehendi. Esto quod ego dicam
 legislatorem intellexisse *confessio-
 nalia* et loca *destinata* ad confes-
 siones non quid diversum, sed
 unum idemque sonare. Quid inde?
 Asserui ne ipsum otiose addidisse
 verba illa *loca destinata*? (En quae-
 stio de qua agitur nunc). « Tole-
 » rantur etiam verba idem sonantia,
 » ait Roncalia (De Legit. tract. 3.
 » cap. 2. quest. III. resp. III. in
 » fin.), ad maiorem energiam, qua
 » veluti magis comprehendatur
 » mens legislatoris. Ita in Bullis
 » Pontificiis simul ponuntur ista
 » verba *uti, frui, potiri*, quae

» ferme idem significant. Item in
 » eodem contextu loquuntur Bullae
 » de consentientibus et permitten-
 » tibus, cum sufficere videretur
 » consentientes expressisse, nam
 » qui consentit, a fortiori per-
 » mittit. » Si autem nunc repetes
 iuxta sententiam meam evadere
 illam particulam nihil aliud, quam
 otiosam et inutilem repetitionem,
 lege etiam *Barbosam* (Axiom. Iur.
 usufreq. Axiom. 216. N. 6.), qui
 haec tradit: « Frequenter in le-
 » gibus et in statutis semel disposi-
 » tum etiam per verba inculcata,
 » idem importantia, disponitur, et
 » plus non operantur, nisi maiorem
 » declarationem et saepe aliquid
 » bis ponitur ad evitandam mali-
 » tiosam et sophisticam interpre-
 » tationem, et sic ad maiorem ex-
 » pressionem. »

Antequam porro finem faciam,
 duo advertenda puto. 1. Quidquid
 sit de nomine, rem et substantiam
 cum Reverendissimo Professore ego
 admitto; nam nec *confessionalia*, nec
 loca *destinata* ego excludo, sed
 dico illa inter ista recenseri, vel
 viceversa, et in specie omnia quae
 singula locorum confessionis genera
 respiciunt, maxime respectu con-
 sequentiarum iuris, suis locis in
 meo libro fideliter trado. 2. Quae-
 stio et lis non facile dirimitur, quia
 ipsa a definitione *Confessionalis*
 et locorum *destinatorum* pendet,
 et ea, saltem adaequata et legitima,
 deficit. Compertum est duplex
 adesse genus definitionis; alia nempe

accuratior, quae rei naturam ex-
 plicat per ipsius principia consti-
 tutiva, idest per genus, et diffe-
 rentiam; alia minus accurata, quae
 vocatur magis *descriptio*, et plu-
 rimas rei proprietates congerit.
 Haec praecipue adhibetur in casu
 nostro, et in specie quoad *Confessio-
 nale*; ideoque *confessionali* non recte
 definito, deficit definitio etiam lo-
 corum *destinatorum*, cum haec sint
*alia quaecumque loca a confessio-
 nali distincta, ubi confessiones au-
 diuntur*, prout ea definit etiam
 Reverendissimus Professor, *l.c. pag.*
183. Col. I. in principio. En quo-
 modo Rituale Rom. (De Sacram.
 Poenit.) confessionale definit: *Sedes*
patenti et apto loco Ecclesiae posita,
crate perforata inter poenitentem et
Sacerdotem instructa. Sed si *sedes*,
 sufficit ergo *subsellium*, et non re-
 quiritur *cellula*; requiritur e contra
crates perforata indistincte quoad
 viros et mulieres, sed haec quoad
 viros non obtinet; non requiritur
 Crucifixi imago, at illam complures
 Theologi in definitione Confessio-
 nalis exigunt; demum requiritur
 quod apto loco et patenti in Ec-
 clesia collocetur; sed de loco *apto*
et patenti Theologi mentionem non
 faciunt; quod porro solummodo
confessionalia in Ecclesia locentur,
 Theologi non conveniunt, etenim
 inter alios cit. *Giraldi* (Expos. Iur.
 Pont. pag. 639. Col. I. in principio)
 docet, quod si in cellula constru-
 ctum adsit, quod formam habeat
 tribunalis ordinarii Sacramentalis

iudicii, tunc pertinebit ad vera confessionalia, etsi in Sacristia sito. *Acta S. Ecclesiae Mediol.*, a S. Carolo conscripta, in primis definiunt confessionale his verbis: *opus ligneum ad poenitentium confessiones audiendas recte decenterque accommodatum* (Actor. Part. IV. Inst. Fabr. Etcl. lib. 1. Cap. 23.), postea ipsum describunt — *Dictionaria* illud definiunt: *locus in quo sacerdotes fidelium confessiones audiunt.* — *Enciclopedia Ecclesiastica*, Venetiis edita ab anno 1854 ad 1864, (Verb. *Confessionale*) illud definit: *quidam locus destinatus in Ecclesia, ubi audiatur confessio fidelium, cum crate pro mulieribus.* — S. Carolus Borromaeus (Synod. Dioec. XI. Actor. Part. 2.) praecipit, ut in singulis plebibus *confessionalia* aliquot, quae *gestatoria* nuncupat, in unaque Ecclesia Parochiali parentur; haec autem describuntur a Baruffaldo (Ad Rit. Rom. tit. 18, N. 18), ubi ait: « per sacerdotes in vasto spatio » distributos portari *cratem manualem et scamnum plicabile*, » quo huc et illuc se transferunt » ad audiendas utriusque sexus » fidelium confessiones sacramentalis. » Crates manualis et scamnum plicabile ergo sufficiunt ad constituendum, quod *confessionale* ab illis dicitur, esto tantum portatile. — Leges Synodales fere ubique prorsus exigunt pro confessionalibus ostium cum sera et clavi, imaginem Crucifixi, tabellam Ca-

sum Reservatorum, ostiolum ante cratem, etc. Haec omnia sunt ne hodie inter principia Confessionalis, vel e contra in definitione eiusdem sunt praetermittenda?

Sed nunc satis de his, et doctores iudicium et sententiam ferant.

Et haec quidem cl. auctor contra nos exposuit: nostrum autem est ad ea respondere. Attamen praemittimus, nos aegro prorsus animo eiusmodi quaestionem pertractare, quia minoris momenti est, eamque praeterissemus omnino nisi admodum Reverendus Rota, tanti eam existimasset ut etiam ad animi nostri sinceritatem appellaret quo suas contra nos animadversiones publici iuris faceremus, atque nonnulla nobis attribuisset quae iure tribuenda non erant. Breves tamen, quantum licuerit, erimus, et a lectoribus nostris veniam petimus, si in inutili fere quaestione eos detinebimus.

Praemittimus tamen positive nos controversiam non agere, sed polemice: si enim demonstraverimus, adductas contra nos a cl. adversario observationes non subsistere, hoc ipso stare ipse concessurus erit quae in nota cit. edisseruimus.

Post haec: nobis primo loco irascitur quod S. Officii declarationem diei 25 Novembris 1874 non recte exposuerimus. In ea expendenda duo nos affirmavimus: 1°. Supremos Inquisitores declarasse, loca destinata ad excipiendas confessiones monialium, aliarumque puellarum vel mu-

lierum degentium vulgo *nei Ritiri, Conservatorii* etc. habenda esse ut *vera confessionalia*. 2°. Responsionem Supremae Inquisitionis ad hoc tantum referri, scilicet *ea loca habenda esse ut vera confessionalia*. Ex quibus intulimus, quod declaratio S. Officii non esset extendenda ad alia loca ad confessiones audiendas destinata, quae neque in Monasteriis, neque in aliis locis, seu *Ritiri, Conservatorii* etc. existunt, sed alibi.

At si stent praemissae, illatio profecto stabilis; reapse ex hoc quod Supremi Inquisitores declaraverint loca praedicta esse vera confessionalia, non sequitur loca omnia ad confessiones audiendas destinata vera esse confessionalia; ut id evidenter adversarius noster percipiat, ad enthimema ratiocinium reducamus: *Supremi Inquisitores Romani declarare, loca destinata ad excipiendas confessiones monialium, et puellarum aliarumque mulierum degentium in locis vulgo Conservatorii, Ritiri* etc. habenda esse ut *vera confessionalia*. Ergo *Supremi Inquisitores declarare loca omnia ad confessiones audiendas destinata vera esse confessionalia*. Consequens magis patet quam antecedens contra secundam regulam: *Quantum praemissae referat conclusio tantum*. Hinc probanda non est conclusio quam adversarius infert his verbis: « Ex his, ni fallor, patet luce me-

» ridiana clarius, S. U. Inquisitio-
» nem ipsam docere discrimen nul-
» lum esse inter *Confessionalia* et
» *loca destinata ad confessiones* ».

Consequens enim ex cit. declaratione inferendum hoc est: Luce meridiana clarius constat, Supremam Inquisitionem docere nullum adesse discrimen inter *confessionalia*, et *loca destinata* ad audiendas confessiones sanctimonialium; puellarum aliarumque mulierum degentium in Monasteriis, aliisque locis, vulgo *conservatorii, ritiri* etc.

Cum vero cl. adversarius non neget citatum decretum hoc sensu latum fuisse, (1) ipsemet concedit, saltem ab eo concedendum est, de ceteris locis ad confessiones audiendas destinatis, quaeque ad sanctimoniales, puellasque praedictas non pertinent, ne verbum quidem Supremos Inquisitores fecisse, ideoque ex citato decreto nullo pacto probari, loca omnia ad confessiones audiendas ubilibet destinata vera esse confessionalia.

Neque solidiora sunt quae subdit cl. Rota. Quamvis enim concederemus, duo in cit. quaesito petita fuisse: an scilicet loca in quibus excipiuntur Sanctimonialium etc. confessiones habenda sint ut *loca destinata*, vel ut *vera confessionalia*; cum Supremi Inquisitores responderint, habenda esse ut *vera confessionalia*: ad haec tantummodo coarctanda est responsio; ita ut

(1) Etenim in animadversionibus propositis scribit: *hoc ultro citroque concedimus, nec unquam in quaestionem adduximus*, pag. 204-5.

dubitare non possumus quin Inquisitores declaraverint, loca de quibus quaesitum est, non esse habenda *ut loca destinata*. Sed ex hoc ipso nonne sequitur discrimen *loca destinata* inter et *vera confessionalia*?

Etenim si loca de quibus quaesitum est, non *ut loca destinata* habenda esse decreverunt, vel non haec tantum, sed *ut vera confessionalia*, hoc ipso admisisse dicendi sunt inter loca praedicta discrimen ita ut confundenda non sint velut *unum idemque*.

Id de cetero ipsemet Rota concedit dum in cit. Vol. pag. 178 scribit: « et ex hoc necessario » consequitur, quod si loca, ubi » excipi solent confessiones monialium, dicas esse *vera confessionalia*, eo ipso affirmas non esse » *loca destinata* et e converso. » Hinc non intelligimus de qua re disputationem instituat.

Attamen, ut rei suae consulat, affirmat, ab Suprema Inquisitione duo quaesita fuisse, eaque diversa, scilicet an loca in quibus excipiuntur sanctimonialium etc. confessiones habenda sint *ut loca destinata*, vel *ut vera confessionalia*; duobus vero diversis diversam responsionem deberi. Attamen vir clarissimus haec in re veritatem assecutus non videtur: non enim *duo* a Suprema Inquisitione quaesita sunt, sed alterutrum ex his duobus; scilicet an loca in quibus excipiuntur confessiones monialium habenda sint vel *ut loca destinata*, vel *ut vera confessio-*

nalia; ergo *unum* quaesitum est, non *duo*; scilicet, *alterutrum*, non *utrumque*. Non enim Episcopus Formisano, vel alius quilibet dubitare potuit, an loca in quibus excipiuntur confessiones monialium habenda essent *ut loca destinata*, sed an habenda essent *ut vera confessionalia*, et hoc postremum Episcopus dirimendum proposuit Supremae et universali Romanae Inquisitioni. Id constat 1° ex adducta superius ratione, quod scilicet nemo dubitare poterat an loca recensita habenda essent uti loca ad excipiendas confessiones destinata; de hoc igitur quaerendum non erat.

2° Ex tenore quaestionum propositarum: etenim in prima quaeritur: an loca etc. habenda essent *ut loca destinata*, vel *ut vera confessionalia*; cuius quaestionis sensus est: an essent habenda *ut loca destinata* tantum, vel *ut vera confessionalia*, ideoque dubium cadit super postremum quod Rm̄us Episcopus vel nesciebat, vel de eo dubitabat.

Hoc autem melius patet ex dubio secundo: *An idem dicendum sit de locis constructis* etc., scilicet an et haec habenda sint *ut vera confessionalia*; sin minus ad quid illud *idem*?

Evidentissime vero id eruitur ex tertio dubio: *quatenus habenda sint ut vera confessionalia, utrum talia censenda sint solum quoad moniales* etc.

Dum igitur Supremi Inquisito-

res respondent: *Ad tria dubia, prout proponuntur, affirmative*: unum illudque explicitum dixerunt; scilicet loca illa de quibus in tribus propositis dubiis quaesitum est, esse habenda *uti vera confessionalia*, nedum relate ad sanctimonialia, sed etiam relate ad mulieres degentes in locis vulgo conservatorii, Ritiri etc. et etiam relate ad mulieres extraneas. Ergo per illud *affirmative* Supremi Inquisitores declararunt, loca de quibus quaesitum est non esse habenda *ut loca destinata*, sed *ut vera confessionalia*.

Unum ergo responderunt, eo quod unum quaesitum clarissime fuerat; neque dubium aliquod esse potest quin responsio Supremae referenda sit unice ad loca praedicta quatenus habenda sint *ut vera confessionalia*.

Hinc frustra quaerit el. Adversarius: *quid ergo affirmat*, Suprema Inquisitio, *primum vel secundum de duobus*? Etenim absolute affirmat secundum, eo quod secundum quaesitum fuerat, consequenter non duplex sed unicum proposita dubia responsum exigebant; non formulam: *negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam*; sed formulam *affirmative*, cum clarum et apertum esset unum illud quod quaerebatur.

Quod ut melius declaretur; fingamus tantisper Supremos Inquisitores ad tria proposita dubia respondisse: *negative*. Quid negassent? profecto non quod loca in quibus ex-

ciuntur Sanctimonialium etc. confessiones sint loca destinata ad confessiones audiendas, sed quod sint vera confessionalia; ergo si responderunt *affirmative*, hoc postremum affirmarunt.

Reliqua quae in re disputat el. adversarius praetermittimus, cum primum non intelligamus; alterum inferius expendemus; tertium non habeat locum, cum in responsione suprema Inquisitio nullum vitare debuerit absurdum: sed unice respondere ad proposita dubia quae in unum confluunt, an scilicet loca de quibus quaesitum est, habenda essent *ut vera confessionalia*.

Observare tamen non praetermittimus abs re prorsus esse exemplum quod adversarius in suo volumine pag. 178 ad rem declarandam adducit his verbis: « Simplex » responsio affirmativa Supremae » evaderet fere ridicula et absurda, velut si oves albas Titiri, et » nigras Moelibe tibi ostendens te » interrogem: Cuium pecus? Titiri » an Moelibe? Et tu respondeas » mihi: *affirmative*. Quid tunc dicendum de tuo responso? »

Profecto dicendum esset eiusmodi responsum ineptissimum et ridiculum esse. At etiam dicendum est, nullam adesse paritatem inter quaesitum propositum circa oves Titiri etc. et responsionem adiectam, atque inter dubia Supremae Inquisitioni dirimenda exhibita et additum responsum. Etenim cum interrogatus nesciat cuius sit pecus